



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia VI. Celeusma Genij Massiliensis ad Magdalenam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Aureaque innumeris pingit nox equora flammis;
 En tua ter felix cymba per astra natat.
 Cernere erit classes æquatis currere velis,
 Magdaleam ut cingant obuia vela ratem,
 Et plenū magnis trabibus mare feruere, & vndis,
 Quis sit Massilio Magdala stella mari.

ELEGIA VI.

*Celeusma Genij Massiliensis ad
MAGDALENAM.*

PALANTEM ut vidit per lubrica stagna ca-
 rinam
 Massiliæ Genius, lynceus Argus aquis;
 Illicet enodes celer ille per aëra pennas
 Explicat, & Cæli nubila regna secat:
 Quaque præit, lux insequitur, mirantibus astris,
 Aëriumque terit arduus ales iter:
 Donec ouans propiore latus ratis attigit alâ;
 Tum demum lacerâ constitit ille trabe.
 Non sine luce caput sibi lilia fulua coronant;
 Vnde micat purum per freta cæca iubar.
 Aspicit hic trepidas trepido cum fratre sorores,
 Quas rapit vndosis fluctus & aura viis.
 Et simul ut sensit versari in turbine leti,
 Pallidaque ora metu, diligenter hospes ait:
 Euge, procellosas mea Magdala discute curas;
 Nunc agitur vento linter & vnda suo.
 Trunca licet remo, clavo licet orba magistro,
 Certa tamen fido tramite curret iter.
 Vndisonas hiemes, & turbida bella triones,
 Scyllæalque minas, fulmineosque globos,

F. 3 Fran-

Franget iō vīctrix ratis; edomitumque per æquor
Clara triumphali puppe tropæa vehet.

Dixit, & hæc firmat plaudentibus omnia pennis.
Clara dat æthra faces, festa dat vnda choros.

Cymothoeque, Halieque, Amatheaque, & Ori-
thyia,

Spioque, Axinoeque, & Galatea soror,
Nereidumq; parens, simū & pecus Amphitrites,

Et Glaucus Cyano quos regit orbe greges,
Agglomerant agiles vndosa per arua choreas,

Actremulis pinnis orgia fausta vibrant.

Et venit vndisono comes Aeolus ipse triumpho:

Quæ tuba vox belli, tibia pacis erit.

Sis memor antè tuis quæ se sttit obuia velis,

Ibit in amplexus Gallica Diua tuos:

Auricomosque tuâ figet trabe Gallia flores;

Quæque prius somnus, lilia fidus erunt.

E L E G I A V I I .

*Amor diuinus MAGDALENAM in
antrum inducit.*

MAGDALA Massiliâ sedem ut defixit eremo,

Visit inexperto barbara tesqua pede.

Erat arenosis procul hospes inhospita campis:

Nescia lustrat agros, nescia lustrat aquas.

Cui comesq; tuus Amor viridate vagatur in agro,

Metatisque pari frondea regna pede.

Hic iuga nexa iugis, hic vmbriteræ conualles,

Hic specus, atque cauo scrupea tecta specu.

Hic viret & sacra lotos, ameno vertice lotos,

Lotos ab Eoīs aduena silua plagis.

Imme-